




Opuscula

NEPTUNUS DIVINIOR,

Crucis Tridente

Procellosum Mundi Mare

PACIFICANS,

D. JOANNES à CRUCE,

Redeunte Annua suæ Solennitatis die

Ad Sacras S. MICHAELIS ARCHANGELI ÆDES

PP. Carmelitarum Discalceatorum Cracoviensium

In Numerosa Dignissimi Auditoris frequentia

Oratoriô Stylô

Per

M. VALENTINUM FRANCHI,

In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ

DOCTOREM & PROFESSOREM,

DEMONSTRATUS.

Annô Domini MD.CC.XXXXI.

Die verò 24. Novembris.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS

In Stemma

ILLUSTRISSIMÆ WODZICCIORUM DOMUS.



Dum ſupero ſplendent WODZICCIA SIDERA Cælo,
Ex alto Patriæ proſpiciuntq; bonis,
Cur igitur quæro? ASTRORVM quis fructus in Orbe?
QVÆ Patriæ proſunt, condecorantquè Polum.

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
D O M I N O,
D. MICHAELI
DE GRANOW
WODZICKI
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis DECA-
NO, VICARIO in Spiritualibus & OFFI-
CIALI Generali, Abbati COMMENDA-
TARIO Wąchocensi, ad Tribunal Regni
JUDICI DEPUTATO &c. &c.
Mecænati Amplissimo. &c. &c.



Uia IOANNES à CRVCE *ex Religiosis emergens umbris, jamq; in Empyrea communi Beatorum, ab Æterno veræ Sanctitatis Remuneratore, locatus Sede, ibiq; lumine immortalis radians Gloriæ, ad coruscos* WODZICCIANORVM SIDERVM *gaudet videri splendores, id non tam elevatarum stupore mentium, quàm potiùs profundissima colendum reverentiâ: in* EORVM *tamen conspicuis, pro Aris & focis, operationibus, quid Orbis universus admiretur, quid imitetur, quidve veneretur, habet.* Illustrissime Mecænas. *Quis etenim stupor, ubi nihil insolitum contingit? quotidiano hoc esse exploratum eventu, totiq;*

 solenne

solenne Illustrissimæ WODZICCIORVM *Prosapiæ nemo est qui dubitet, quòd Ipsi Cælorum Indigetes, Divino quodam afflati desideriô, Vestris deliciari sub* Astris, *ac tanquam veriores, Aquilæ magnarum Alarum, Pulli, jam perfectè in Increato Justitiæ Sole probatas, sacra erga* Vos *pietate allecti,* His Luminaribus *infigere pupillas, plurimùm exambiunt; ut pote à* Quibus, *etiam splendoribus Sanctorum, non quidquam accedere, clarè intuentur. Supero cognata Cælo* WODZICCIANA Astra, *pars clari potior Olympi, nil commune cum terris habent, nihilominus alienari à terrigenis Concivibus non patiuntur, at illis beneficis intimè conjungi influxibûs, salutifera Patriæ deferre præsidia, copiosis virtutum & meritorum ditare Ecclesiam proventibûs, amplissimumq; Honoris sui censum à summa rectefactorum gloriosè impendere, summopere student. Hæc sunt* Luminaria, *quæ ne obscuriore contingantur pollice, ipsi Cælestes Genij, non à Romanis Lucijs, sed ab ipso Increato manè purissimam nacti lucem, moderantur;* Quibus *Beatis consanguineæ Cælitibus, Intelligentiæ assistunt; ipsaq; Civium æthereorum agmina sub* Eorum *gratioso aspectu, hospitari, quandam accidentalem sui beatitudinem, non temerè arbitrantur. Et hoc ipsum est, quod sine speciali meminisse reverentia, nec licet, nec decet, cùm Divi Manes posthumis commendandam sæculis, tantam apud* Aureos Lelivitas *mereantur facilitatem, ut eis commodissimæ in* Partibus Cæli, *suis inquam* Sideribus *donationem humaniter faciant hæreditatis; sub* His *religiosiùs adorari optant, peculiarem inde sortiti applausum, quòd cultu plurimùm festivo à* WODZICCIANO *inclarescant* Meridie: *quemadmodùm etiam hodiernus* IOANNES à CRVCE *inclytus Eorum Concivis ad celeberrimam diei suæ solennitatem inclaruit, gratioso, at magis devoto* Tui Illustrissime Mecænas *aspectu. Et licetsi hoc pietatis Vesuviô singuli inflammati* WODZICCII *Quorum Sacris in pectoribus intaminata ab ipsis cunabulis, Sanctiùs quàm olim Ve-*

stalibûs

stalibûs ardebat Roma, religionis observantia æstuat ignibûs, cujus lucem ab Illustrissimæ *hauserunt* Lucinæ *primordijs, eamq; in Avitis invenêre Cunis, ac è Magnorum exsuxêre ubere Avorum; ejus tamen de* Tuis *præcordijs* Illustrissime Mecænas *evidentissimè flammarum incendia erumpunt, in* Cujus *symmetria, dum mentis oculos reverenter defiximus, hinc* Te *Ascanium Sactimoniæ circumfusum contemplamur, nitore, inde convincimur, quòd Prædecessorum* Tuorum *vel exæquas magnitudinem, vel unus omnibus superemines.* Tua *solicitudine pullatus templorum renidet squallor, largâ, Divorum altaria resplendent munificentiâ, scelus Gyaris damnatur, emerita in præmium virtus Pantheô donatur, & quidquid muneris pietati convenit,* Tu *dexterrimè exequeris. Animus in Corpore* Tuo *virilis, Illustrium viva imago Majorum, quô in rebus humanis augustius nihil; frons veneranda totam Magnorum Virorum gravitatem explicat; hisce Oculis primæ prospiciunt dignitates & regnant; in Vultu magnifico Charites omnesq; Gratiæ consederunt; Os purpureum Sanctorum Sapientiam loquitur, & quidquid dicit, oracula sunt; Manus aureæ hyacinthis munificentiæ plenæ, non tenebris damnant opes, sed per Indigos, beneficiorum largos spargunt odores; Cor augustum, intra se quidem habitat, sed in totius Ecclesiæ & Reipublicæ usus, in Cælitum sese diffundit amores, ut integra* Tui *figura elogiorum Synopsis, & vocalis virtutum Prosopopæia dici & esse mereatur. Excelsas ejusmodi dotes tacitis pervadens oculis* Eminentissimus, Celsissimus & Reverendissimus Dominus, IOANNES ALEXANDER, in Lipe LIPSKI D. M. S. E. R. Presbyter Cardinalis, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ *profundiora in* Te *mentis suæ cogitamina gratiosè defixit,* Cujus ALEXANDRI *Pectori, quod Magnorum Principum Sedes, Regumq; Majestas jure nuncupatur, altè insedisti Ephestio: ideoq; oculatissimus Argus,* Te *pupillâ, sui muneris negotia perlustrat;* Te *Alcide, Indefessus Atlas ad ferenda utitur onera,*

 in Cujus

in Cujus capaces humeros Diæcesanum imposuit Orbem, cùm Te, *more Prædecessorum suorum* Vicarium in Spiritualibus ac Officialem Generalem *firma animi sui pronuntiavit sententiâ; ut pote, cùm in* Te *Solonis ingenium, quo Sarmaticæ saperent Athenæ, adverteret; manum Salvij, quâ jura in tabulas, publica acta in Codices referres; animum Gratiani, quô sanctè statuta, prudenter sancita, sapienter Decreta, publicæ utilitati commendares; caput deniq; Justiniani, universale Pandectarum volumen, ex quo omne jus velut è cornu AmalthEæ depromeretur. Adeoq; sub* WODZICCIANORVM Astrorũ *motu, Quibus* LIPSCIANA *quandam communicant eminentiam* Rastra, *interea altiùs quiescunt, ut negotia Regni intensiùs meditentur, feliciorem in viscera Patriæ inferant messem, unionemq; in commune bonum congregent animorum. Contemplatur non sine festivo viscerum suorum gaudio* Perauguftum Cracoviense Capitulum *præclara* Tui Prime Prælate *attributa, profundissimam in responsis prudentiam, in rebus agendis dexteritatem, in privatis colloquijs humanitatem, in pertractandis publicis negotijs consiliorum robur ac felicitatem, in Capitularibus, sessionibus sensuum & verborum, non sine auscultantium jucunditate, pondus, ubiq; auctoritatem: & Dignum sanè reperit, tam pulcherrimò pro* Te *suffragiorum agmine perorante,* Cui Administratorialem Episcopatûs *curam delegaret, quâ Electionis suæ discretione, proximiorem Infulis, quas pridem omnium judiciò mereris, firmiter sancivit. Altiùs quoq; eruditam animi* Tui *solertiam penetravit, jurium bibliothecam, grande legum volumen, plenum Constitutionum Regni, Ecclesiæ Canonum archivum, censuit & probavit, ideoq; jam quartò verè quadratum* Iudicem ad Tribunal Regni *deputavit, sub* Quo *triumphavit justitiæ rigor, non absq; tamen clementiæ temperamento, regnavit probitas siluère vitia. Ad Tribunalitiam sedens Mensam, ubi Causas Sphingi similes invenisti, in srutinijs Oedipum egeras,* Cui *ceu principali Judi-*

cum

cum Numini illibatus sola veritas Codex, sola æquitas Canon, solus animo excelso oris & pectoris candor, sola probitas suffragium fuerat: ubi monstrasti, quid in Areopago, quid domi & foris, quid in Ecclesia, quid in Regni subsellio valeant WODZICCII Lelivitæ. Qui *licet si ex* Te Ipso *virtutibûs in Ecclesia, amplis in Patria meritîs ditißimus fueris; non exiguum tamen addunt* Tibi *pretium* Illustrissima Majorum Tuorum *Nomina, cognataq; alti Sanguinis in Orbe Lechico Numina. Vivit adhuc post funera in cordibus Sarmatarum illud illustrißimum lumen Orbis Poloni* LAVRENTIVS de Granow WODZICKI *Pocillator Varsaviensis Progenitor* Tuus Magne Mecænas, Serenissimi IOANNIS III. *Summi ingeniorum & Virorum Taxatoris pupilla oculi, Regiorum Succollator negotiorum, Procerum Amor, Nobilitatis decus, gemma Coronæ Regni pretiosa, Vir ad omnia, immo optimorum medulla Virorum ad quævis ingentia munera, non fortunæ, sed præclaræ virtutis germine natus. Quô Regia* IOANNIS *Manus, ceu dextro ad præclara utebatur munera, brachiô; ceu Statore rerum Polonarum, ad consilia; vivo ad bonum publicum feliciùs effingendum, instrumentô.* Cui *sorte felicißima, sic disponentibus Superis, in sociam vitæ cessit* ANNA Conjux Lectissima *eximiarum Pandora qualitatum, viva Charitum effigies, ipsißimæ spirans probitatis simulacrum, vera sui Viri Corona, tot pretiosis dotata clenodiîs, quot Avitis virtutum ditâta Erythris. Videre erat & admirari hoc illustrium Matronarum singulare decus, verè ANNAM, id est gratiarum, DEI & hominum sententiâ compendium, Cujus cor devotum ceu Sacratioris Vestæ continuis flagrabat pietatis ignibûs, quibûs domestica conclavia, ceu DEO dicata Oratoria, illustraret. Hæc nova Placilla, in Templa munificentißima, quæ liberalitate in majorem elevavit cultum, exornavit opibûs, Parijs decoravit marmoribûs, quæ immortalitatem* WODZICCIANAM *futuræ commen-*

darent posteritati; in egenos effusissima, in Cœnobitas gratiosissima. Hæc Polona Cornelia, in domesticis circumspecta negotijs; in publicis prudentissima, tot Gracchorum prototius Patriæ commodo, quot WODZICCIORVM Filiorum & Filiarum Mater. *A Quibus Clarissimis Luminaribus* Tu *splendidior prodijsti Phœbe* Illustrissime Domine, *& sic certè prodire debueras, ut Augustos intuereris soles, dignissimus; ut* Te *lux publica haberet, & oculi Majestatis pro nobilissimo respicerent objecto, Quem nobiles ex animo erumpentes flammæ, ad fatorum invidiam, ad præsentium stuporem pulcherrimè coronarunt. De eodem* Luminum *fonte emerserunt* Illustrissima Nomina CASIMIRVS *&* PETRVS de Granow WODZICCII, *Ille* Pocillator Varsaviensis, *Vir rerum experientiâ conspicuus, domi & foris admirandus; ingentium capacissimus; ilium vitæ integritate purus, Cujus grandi nihil vastius animô, quô etiam peregrinum impleverat Orbem, certò Eum Lechicus ut habet in votis, illustrioribus sublimaret titulis, si sibi Corporis infirmitas ad excelsa, per invidiam fortunæ, Optimis maximè inimicæ, viam non præclusisset:* Hic Pocillator Cracoviensis, Colonellus Exercituum Regni, Regio Serenissimi AVGVSTI III. in WODZICCIOS *favore* Eques à S. HENRICO. *Heros Martem fronte præseferens, Qui bellicum spiritum propè cum ubere hausit, dum adhuc puer, per scuta reptaret gauderetq; inter vulnera videri. Hic sanguinea bella non pericula, sed bellaria arbitratur, Cujus Heroicum Cor, fulmina Bellonæ, ignea Gradivi tormenta, clypeos & hostium hastas, tanquam amœnos amplectitur ludos. Meritò talis Camillus militiæ Sarmaticæ præesse debuit, Cujus magnanimo in pectore Martiales residentes flammæ, ad generosos ausus, Polonos accenderent Tyrones: sane aptissimæ manus Imperatorias ferendi Clavas. Isti Polono Annibali in connubialia cessit fœdera* Illustrissima de DĘMBINSCIIS CONSTANTIA

TIA *masculæ Heroina mentis*, Quam *rara in tali Sexu prudentia, elegantium suavitas morum, pius in Superos amor, in Divorum munificentia Aras, & quidquid Illustres decorat Matronas, Orbi commendat. Debebatur* Cælo WODZICCIANO, *ceu propria Zodiaco Virgo, & ecce est* Ravicia, *quæ devotas ad Superos dum attolit dextras, ut in Hanc Domũ novum Honorum inferant Cælum, tot stellis, quot Illustrißimis titulorum splendoribûs coruscans. De eodem Luminum foco processerunt dignæ Tantis Parentibûs Scintillæ, Patriam suo tempore illustraturæ*, Elias, Franciscus, Iacobus & Ioannes Cantius, *duo Musis sacrati Cracijs, ad quævis magna & honesta, ut ex vultibus Juvenum legere est, accensi, quibus Paterna exempla faces quidem sunt, ad quævis illustria æstuantes animos, fortiq; inflammantes; cæteri, ut tenelli flores, spes Reip. ingens, & non vanum singuli Prosapiæ ornamentum futuri. Adhuc inter immortales resplendet Cineres augusta propago* IOANNES de Granow Capitaneus Vstiensis, *quo quondam Heroe Polonus gloriabatur Mavors, contra quem ocyùs quàm par erat communia exarsère fata, quem iàm in culmo, licèt necdum in culmine honorum, qui sese Ei spontè inclinabant, demessuit Libitina. Inter* Hæc Paternæ Domus Tuæ Sidera Tibi Fraterno *simillima sanguine, eminentiùs resplendes* Amplissime Mecænas, *ceu pretiosißimus, non Laudatoris solummodo, sed totius Poloniæ judiciò inter Erythræas unio gemmas, singulorum dotes & commendationem complexus, Cui mentis elegantiam, cordis magnanimitatem, ingenij profunditatem, in peragendis negotijs pondus, magnificum ubivis pretium, intaminatus pectoris & oris candor, virtutis amplitudo, animi intelligentia, vultûs authoritas Principum & Magnatum, Infulatorum & Infulandorum Cracij Vavelli Capitum æstimatio, tribuerunt. Nec solùm Domestico allucent foco* WODZICCIANA Astra, *etiam ad externa se se diffundunt Nomina, illis suam communicant claritudinem, suorumq; bonorum ex-*

 cellen-

cellentiam, quod proprium est Sideribus Cæli in multos munificè partiuntur, quæ tot Illustrißimis conjuncta per præclaræ Consanguinitatis vinculum, Luminaribus & clariùs in Orbe Sarmatico nitent, & clariores, per Stirpes cognatas, diffundunt Domus suæ radios. Resplendent pulcherrimè non solùm quia ignibûs penetrata bellicis, vel in hostium Patriæ demetendis perpolita cervicibus Avita Przerembsciorum Arma, sed etiam ex eo, quòd Aureo Lelivitarum de Granow sint circumfusa Iubare, dum HELENA WODZICCIA, eximia sui ævi Pulcheria, in Qua omnia summa fuêre, Genus, virtus, gloria. Cujus casto pectori niveum insidebat ebur, lilia in fronte candebant serena, purpureæ in genis residebant rosæ, suave quarumvis virtutum in animo vernabat florilegium: dum inquam Hæc illibata magnanimo Penelope Ulyßi, dilectißima Maûsolo Artemisia, Polono Idalia Marti, Venustißima Menelao HELENA: nimirum Illustrissimo ac Excellentissimo in Przeremb PRZEREMBSKI: S. R. I. Comiti, Castellano Conariē: Szydłovien: Pierzchnicensi Capitaneo in perpetuæ Sociam vitæ quondam cesserat, Sponsa par virtutibûs Sponso, altis inclyto titulis, propè immensis illustrium exemplorum, meritorum, honorum decoribus exornato, Viro summæ in Repub. existimationis, in rebus agendis prudentiæ, Generis celsitudine, vitæ integritate, placitisq; moribûs præstantißimo. Et licetsi utrumq; crudelia abstulêre fata, vivunt tamen caris in Pignoribus, perennant in cordibus Magnorum utriusq; Prosapiæ Heroum, spirant immortalitate rectefactorum. Volvuntur per Sphæricum Domus TAGOBORSCIANÆ Orbem WODZICCIANA Sidera, ad æternaturæ dignitatem memoriæ, semper cum ampliori splendorum incremento. Nempe Familia Hæc, Cælo propinquißima, Orbi Lechico clarißima, Heroum Nutrix, gemmis honorum splendens coronâ, à qua WODZICCIANÆ Majestati, non exiguum accedit authoritatis momentum; ut tametsi se ipsâ sublimis fuerit,

celsior

celsior adhuc à TAGOBORSCIORVM eminentia foret luxq́ luci addita, fiat uberior. Non modicum Luminibus Wodźiccianis Illustrissimus Lubomirsciorum Srzeniáwá claritatis affundit, cujus per tot climata Regnorum diffusi latices in profundissimum præclarè gestorum excreverunt æquor, de cujus altiore profluvio in appretiationem Lelivitarum, ut rutilum ab Arimaspo obrizum, ut Idaspæi à Lechico Gange Pyropi, abundè promanant, diluvia inquam in amplissimos gloriæ explicata cursus. Deliciantur SAPIEHARVM Sagittæ, seu in suæ propensionis fixæ centro, WODZICCIANO Affines Astro. MORSZTINORVM, TARNOVIORVM, DVBRAWSCIORVM Lumina optatum nanciscuntur meridiem, nitentq́ ut soles, Phæbeo Domus Vestræ sociata splendori. Congerunt in unum cognata GRABSCIORVM, VSTRZYCCIORVM, RVPNIEWSCIORVM, aliorumq́ mille decora, Illustrissimam Prosapiarum suarum lucem, eamq́ Avitis adjiciunt Domus Vestræ fulgoribus, ut in ævum illustrissimis non desinant splendescere titulis. Et hoc est, quod dicturus eram, quia in Sideribus WODZICCIANIS, habet Sarmaticus Orbis, quid admiretur, utpote, Quæ conspicuam Cælis communicant venustatem, amplos in Patriam meritorum proventus invehunt, continuata Reip. deferunt obsequia, incorrupta Ecclesiam religione decorant, suæ Prosapiæ majestatem, Illustrissimis Familijs splendorem accumulant, in omnes gratitudinem influunt, humanitatem, magnificentiam, auctoritatem. Singulatim hæc & omnia Synopticè, si quis in WODZICCIIS reverentiali oculo intueri optet, in Te Vno Illustrissime Mecænas collecta resident. Tu harum compendium dotum, Tu harum dactyliotheca gemmarum, Tu pulcherrimum Excellentiæ WODZICCIORVM universale, nobilissimũ omniũ elogiorum Subjectũ, & unus, omnibus Elogiastis fons laudum superabundans. Cur igitur amplius

Illustrissimæ Domus Tuæ *insudem encomijs? cur plura gloriæ monumenta quæram? cur exiguam ingenij facem accendere coner; ut meridianum illustrem Phœbum? ubi in* Te Vno totam WODZICCIANI Luminis *reperiam claritatem. Consultò plurima* Domus Tuæ *prætermitto decora, cùm Tu multò illustriora reliqueris documenta: prætermitto solidiora* Majorum Tuorum *encomia, quæ typographicis coarctata nequit capere paginæ columnis. Hæc tamen; quæ inculto quidem exarata stylô, arctiore producta syllabô* ex Vobis *dignissima sunt, non ex scribentis elogio.* WODZICCIANA Sidera *Orbis Lechicus, nosq; singuli, non per somnum; sed corde vigilantissimo adoramus, ut pote quæ ipsi Celsissimi continuò colure Planetæ,* Tuorum *ingeniò Mitratum olim* ŁVBIENIJ Caput *suavissimè vixerat;* Quorum *sereniore aspectu* SZANIAVIVS *nuper exultaverat* Agnus, *jamq; sua vellera in Purpuras* WODZICCIO MICHAELI *dedisset, ni fila vitæ* COSTANTINO *Libitina præscidisset. Inclaruit* Horum *splendore Patria, illustrata Ecclesia, sublimata Vavelli Coronæ.* WODZICCIA Lumina, *dum Sarmaticus veneratur Orbis, Serenissimi quoq; de Auge Majestatis à longè, cum animi sui voluptate speculantur Soles,* Quæ in Te Illustrissime Mecænas *Regius* AVGVSTI III. *aspectus, Decanali, ac Abbatiali decoravit honore, illustrioribus adhuc Titulorum radiis exornare in animo parat; iamq; quivis honorum apex* Tuis *sese inclinat* Sideribus, *ut perpetuò in celso dignitatum fastigio, in eminenti gloriæ apogæo revolvantur. Quæ singulorum vota, ut prospero eventu boni Superi in* WODZICCIANA Prosapia *coronent,* & Tibi MICHAELI *longa promerenti tempora, Avitæ gloriæ Hæredi, bonis immortalibûs cumulato, eveniat illud Poetæ:* Purpura Te felix, Te colat omnis honor: *profundissima cum reverentia, breviore equidem emphasi, & impolito cothurno, at studiò in quævis obsequia promptissimo precatur*

Illustrissimi Nominis & Honoris Tui.

Devinctissimus Cliens
M. VALENTINUS FRANCHI *P. D. & P.*
Author Operis.



ORATIO.

IN vitreo felicitatis freto rarus Polycrates hucusq; portum appulit feliciter, ut inter faventiores Etesias hærente vitæ liburnô, locò optati littoris ad scopulum fatorum, non impulisset. A A. Procellosum etenim in suis latifundijs Mare, Orbis spaciosus, non tàm divite exundantis lætitiæ Nilô, quàm fatali irarum exundat illuvie, pro dulci susurro, murmura ingeminat furibundum; locò lenis malaciæ, tumidis albescit procellîs, magìsq; fletibûs quàm fluctibûs fluit universum. Mare Mundus, sed rubrum: in quo cum non unus Mnesteus novam cum fatis iniverit Naumachiam, luctando cum Africis, certior mortis, quàm triumphi decertat; in quo sæpiùs secantibus illud antennîs, in exitiosas provectus Scyllas, fluctus & luctus lachrymabilis bibit

Proreta; & navale bellum, in vasto hoc Æquore gerendo, cùm hostilis desit, illud propriô Sangvine cruentat. Mare Mundus, sed glaciale: in quo si quis victricem fortunam per Euboicum olim navigantem Pelagus celeri adijt gressu, illicò ibidem attigit præcipitium; & congestas ex everso Dardano manubias, in vim fœderis, licèt ad Naupliam facem funestis Æquoris hujus sepeliverit anfractibus, grande tamen cum ludibrio est passus infortunium. Mare Mundus, sed procellosum; susq; deq; scopulis plenum; in quo non unus Läërtiades volens felix optatæ spei adire Beneventum, voracicibus abijt in obsonium scyllis; & qui in terminali littore lætum canere celeusma in animo statuit, lethô obijt. Mare Mundus, sed insolens; cui licetsi catenas & vincula injeceris, cum Xerxe, etiam catenatum effreni in deteriùs ibit procellâ; tumidô fastu fluet, & sulcantibus sese remîs intra viscera sua fatale dabit exitium. Habet illud asperarũ copiam aquarum, quibûs naviganti Palinuro crudele novit impingere stigma; quodq; nullus sit ad Chersonesum Scopus; sine fatali Catascopo, rauca Deucalionis fluenta demonstrârunt. Aquæ multæ, populi multi: vastô quandoq; ambitionis intumescentes vapore, ultra sphæram capacitatis suæ, quid prodest; si ascendere velint? dum eô ipsô ab alto cadunt, in præceps abituræ. In hoc immenso Oceano, si curiosâ pupillâ placet Insulas intueri? placeat simul infandum renovare dolorem: quomodo ad illas allisa Argonavis vitæ humanæ, ah infelix! obvijs sæpè cedit in spolium, rapinamq; fatis. Hoc fluidum Elementum, tristi denigratam squallore tellurem magìs fœdare, quàm emundare con-

svevit

ſvevit. Hoc petulans Æquor, ſi de die modeſto gurgite fluit, noctu illud inſani vexant atrociùs Auſtri; totum tumeſcens in rapidos agitur æſtus; nunc totum criſtas erigit, nunc faſtigiô petit declivia, nunquam conſtans, ſemper volubile, magis inſolentiæ Typus & Ironia dicendum. Minimi etiam hujus titubantis Pelagi niſi plorantibûs oculîs explorantur motus; in quo totum Imperium lachrymantitium Pleadum, non ridentium Orionum; ſtridentium Aquilonum, non mulcentium Eteſiarum patet eſſe ab eventu. Habet hoc mare blandientes intra ſe Sanguiſugas, optimo inhiantes ſanguini, quo exhauſtô invadentibus dant locum fatis, & nauſeabundæ recedunt. Dulciſonæ Syrenes in fluctibus hujus Oceani ſuum quoq; fixere pedem, quæ ſvavi vocis illiciô funeſtum parant exitum, & ſuæ crudelitati molles præmittunt Dithyrambos. Abyſſus hic abyſſum invocat, fortunæ Cæſaris hic rarus margo exoptatus; ſupplices haurit etiam hic pontus lachrymas, ad meliora nullis precibus inflectendus. Porro: hoc procelloſum Mare cùm limites ſuos tranſcendat, jam Aurea Neronis Palatia, jam Semyramidis Viridaria, jam Memphiticas Turres, Babylonemq; ſuperbam, jam ſeptem Orbis miracula abligurit, ùt ſinguli:

Mirentur ſub aqua lucos, Urbesq; Domosq;
Nereides ſylvasq; tenent Delphines & altu
Incurſant ramîs.

Imò plus dicam: Oceanus hic malorum fluctibûs intumeſcens, impetuoſis procellîs, audet ſydera quoq; Cæli verberare, dum illis pluvioſos Ortus Occaſusq; minatur. Verùm ſubſiſte tantiſper effrenatum in omnem licentiam amarum Mare (te

Orbis intelligo) En adest hodierna die Divinissimus IOANNES à CRVCE, Stellati Carmeli Phæbus, Divinior Xerxes, Qui aureis Crucis compedibûs tuos constringet ligabitq; fluctus, procellas catenabit. Adest Verior Iason, Qui Crucis remó ferventia hæc æquora mulcebit omnesq; feros ad modestiam componet impetus. Adest Divinior Polycrates, Qui in Cruce Domini, te meliori desponsabit fortunæ. Adest Divinior Nauclerus, Qui virgâ Crucis fatorum tibi illudentium compescet insolentiam, ventorum pacificabit jurgia, sævas dispellet tempestates. Ergò minimè à veritatis aberrabo orbita, cùm Divinissimum IOANNEM à CRVCE, Diviniorem NEPTVNVM, Crucis Tridente, procellosum Mundi pacificantem Mare, minùs fluido ore demonstrabo. Parces D. IOANNES quòd Te Scientiarum Oraculum, omnis perfectionis Mare, Neptunum demonstrare intendo; cùm sciam, sub Tuo felicissimo & optimo regimine prospera quæq; fluere, pacata quævis evenire: Qui ut talis appareas; Nomine sonantem Gratiam mihi inculto Oratori non negabis. Elevabunt flumina Oratoria voces in laudem Divinioris NEPTVNI, Vos tantùm AA. Dignissimi benevolæ attentionis spirate Favonios, supplex imploro.

Dilectam Saturni & Opis Propaginem, Supremi Iovis corculum, Concivem Deorum, Cælitûm Delicium Neptunum, antequam Oratorio argumentó Moderatorem comprobavero Maris, priùs de excellentium sub Sole primatu rerum, quomodo pro eo certatum pugnatumq; est, aliqua innuere volo AA. Vix etenim enituit rerum pulcher

cher vultus in Orbe, vix Tytan radiantia præbere lumina, ac nova crescendo cæpit reparare cornua Phæbe, illicò (prout & hucusq; obstat) unum obstabat alteri; frigida pugnabant cum calidis, humida altercabantur cum siccis, mollia cum durioribus, cum gravibus certabant levia, pro arbitrio naturalis excellentiæ primatum exposcendo. Audijt hæc cupidus dominandi animus, & mox in Divûm Nepotibus (Gygantes intelligo) adeò exarsit, ùt omnibus una mens fuerit, triumphato Iove; exarmato Marte, decollato Saturnô, extincto Sole, deflorata Venere, Ipsisquoq; calcatis Cælorum Orbibûs, eminere. Hæc Superiorum disturbia, moverunt inferiora ad fastum, ut legibûs naturæ non attentis, unũ quodq; velit, etiam nunc, altum in Orbe videri. Sic pernicior flamma, solutis in cinerem nemoribûs & sylvîs continuò intendit insilire texta Polorum; irata Thetys immanes fluctus eructat syde ra versùs; viles athomi tumescendo in Olympos, Cælos facilè æquant, oriundi ex terra vapores, vi alienâ sursùm elevati, licèt nimbos minentur, solem coronant. Tantis eminendi, quandoq; illicitis conatibus consultum desuper ubi singulæ res ad proprias Classes revocatæ, singulisq; præfixus unus Princeps, qui eas sub sua Imperia vocaret. Sic Iovi omnia obediunt, Saturnum àëra reverentur, Martem arma adorant, Ignes à Vulcano dependent, opipara seges Cereri subest, campis Flora diffusis, sed præest hortis Pomona; Pan regit nemora, & vastis undarum recessibus imperat Neptunus. Ille Neptunus, qui applaudente Olympô, Saturni & Opis sanguine satus, inter ubera Iunonis pendulus, dulcem suxerat hyblam, ut amarum mare,

in suavem ambrosiam transmutasset. Ille Neptunus qui veluti Filia Oceani [gemmam suppono] inter argenteos lympharum volutabatur fluctus; ut inde gratiosior pusio à fontibus posset apparere. Ille Neptunus, qui in Contubernio aquarum habitans, uti tamen meretur consortiô Deorum. Attollant Iovem Sceptra Supremum, ornet Mercurium virga, clava Herculem demonstret, penicillus loquatur Appellem, gladius denotet Martem, Phœbumq; commendet sagitta, Neptuno lumen columenq; ex Tridente. Regit ille hoc insigni totum quâ latepatet Mare, latrantibus Scyllis fauces atterit, sævientes compescit procellas, terminale fluctibus præscribit non plus ultra, jurgia ventorum, & motum intra viscera æquor, pacificat. Verbo litigiorum Oceani Arbiter & Iudex, Velificantium amicum Numen, insolentis Maris stator, Neptunus, recto Pòëtarum judiciô appellatur. Sed appage hinc, ficta somniantis Pòëseos Imago, ubi verior ac Divinior Neptunus D. IOANNES à Cruce Cælo demissus ab Alto, Crucis Tridente, procellosum Mundi pacificans Mare elucescit Quem antequã sub Sole videbitis AA. priùs inclusum visceribus Maternis miremini; & Quem Sanctitatis fama magnarum nuncia rerum in primo ortu toti deprædicat universo: *Magnus vocabitur*. Magnus vocabitur? ergo forsan Alexander, totum Orbem ad sua Imperia vocaturus. Magnus vocabitur? ergo forsan Iulius Cæsar, vel fortis Achilles, infractus Alcibiades, insuperabilis Cyrus, invictus, Pompejus, Scipio Africanus, vel munificus Nerva, Cujus virtutes & elogia Homerus, Thucydides, Xenophon, Livius, Lucanus, Dion, prom ere, Illi pa-

negy-

negyres, cudere ni Delphicos Tripodes consulant, non valebunt. Rem infascinatam evolvo: IOANNES Magnus vocabitur? id est Neptunus, Crucis Tridente procellosum Mundi pacificans mare. Si Neptuno oscilla, fluctus; paxilli fluminum molles procellæ fuere; IOANNI Divinissimo, altum Sãguinum Mare cunabula dedit, locò mollium culcitrarum, fortuna purpuras stravit, & Coronas. Ille Iunonis alebatur lacte, ut salsas maris guttas dulcoraret; Hic verioris Iunonis, Catharinæ ubera suxit, ut ad Cæleste promontorium, singulis lacteam viam, exhiberet. Ille in curru per æquora provehitur equis, Hic Infans, non tam fortunæ rotâ, quàm Sacro virtutum curriculo, ac alis Amoris Divini instructus, Cælo tenus eluctatur. Ille Tridente, ùt audivimus, pacificat mare, Hic densas Sacratissimâ Cruce, Quam manibûs gerit, malorum dispellit tempestates. Gangetico pulvere mensuranda illa hora, in qua Divinior Neptunus IOANNES ex utero Matris in viventium stetit arena, Pusio ingentes dotes complectendo. In primo annorum fonte, castis virtutum agminibus tanquam Divinioribus sese accingebat Nymphis, Hyperion clariùs in Orbe arsurus. Vtq; Infans in terris natus Cælestia saperet, Sacro Baptismatis fonte infantile ablùit Caput; salem sapientiæ accipit, ut ad Solem Iustitiæ accedat, imò toto corde Charites complectitur, dum plenum gratiarum Nomen IOANNIS sortitur. O quàm plurimi Nominum meridianos sumunt Tytanes, & tenebrosa morum illos obfuscant caligine. Plerumq; è portentoso Gygantum cubili, imbelles consurgunt pusiones; ex Iovis Thalamo, claudicantes in lucem educuntur Vulcani;

 ex Hecto-

ex Hectoribus Sybaritæ, ex aureis Parentibus ferrea excuditur propago, & Mæonios Reges, inglorij à longè sequuntur Nepotes. Non sic Dîvinior Neptunus, prout suo æthymô, ita re ipsa gratiosus; ex Magnis Parentibus, surrexit quô nemo Maior. Senex puer, dum in Iuvene morum gravitas, operum Sanctitas, virtutum congeries, indolesq; ad maxima nata, crevit & maturuit. Crevit & maturuit IOANNES, annîs pumilio, virtute Gygas contra Quem en Tartarea pubes, ultimum lapidem movet, dum Neptunum profundis undarum fluctibus damnare intendit. Sed quid ad hæc IOANNES? forsan nodo periculorum irretitus, quà evadat, sibi ferre consilia nescit: minime! IOANNES in puerili ætate Vir est, in quo latent virtutis scintillæ, velut igneus ardor frigidis inclusus saxis, quem non excuties, nisi atteras, ita in IOANNE virtutum commodius eliciuntur incentiva, dum malorum allidictur assultibûs, ferreis vexatur procellîs. IOANNES validior ab hoc casu Antæus, ruinis contra fatorum sese erigit fulmina. IOANNES Neptunus est, etiam nimboso tonitruantis Orci Sydere, per tumescentes adversitatum fluctus, in puteo felix navigat navita. Vnde falleris nimiumq; falleris carbonaria Orci progenies? IOANNES Vesuvius quidem est flammis amoris æstuans Divini, his tamen non extinguetur, ast magis ardebit undîs. IOANNES Neptunus est, Cui si tota cum furibundis fluctibus obedit Thetys, quomodo tenues contra Illum insurgere poterunt torrentes? Factum est quod dixi: en auxiliares IOANNI favorum cælestium copiæ subvenere, dum Sanctior Ariadna, MARIA, non

tenue

tenue ut quondam Theseo, filum, verùm solidam suæ protectionis dexteram exporrexit, ex puteo IOANNEM sublevavit. Sic Magnus IOANNES, Majoribus quia servabatur rebus, an Neptunus Divinior quia pacificando procelloso Mũdi Oceano erat destinatus, angusto claudi non poterat rivó, non poterat aquîs suffocari. Vndè undîs insuperabilem, profundis fluctibûs altiorem stupens Avernus IOANNEM, Illum novo Marte, nova arte oppugnat, non tamen triumphat. Lethifer Draco, longo caput efferens antrô, Nemæos Leones repansis faucibûs, Hyrcanas Tygrides, arrectis unguibûs, Lernæas Hydras, Africana monstrorum pignora suâ ferociâ exsuperans, consistit obvius IOANNI, artus tenelli Pusionis depasturus. Sed quid ad hæc IOANNES? timere nescius minimè expavescit, contra pugnacem hostem firmissima munitur innocentiâ, (quâ nihil nocentiùs hosti) fugiente sociò, cui metus addidit alas, novus Hercules non jam acuto ense, vel minacibus pilîs, sed ùt Divinior Neptunus, Crucis Tridente, Scyllam voracem in fugam abire coegit. Sic IOANNES, prima Tyrocinia ætatis suæ posuit victorias & triumphos, deditq; documentum in aurora vitæ, quô olim hostium occasu illustraturus erat Ecclesiæ triumphos. Nondum palmam novit extendere puerilem & jam palmas colligebat triumphales, acsi Martem non Matrem suxisset, vel eodem actu & vivendi & vincendi ingressus fuisset theatrum. Si danda fides Poëtis, Palladem Sapientiæ Deam, virentem Neptuno dedicasse oleam. Hic extra commentum est, dum Diviniori Neptu-

 no

no IOANNI, in Areopago Sapientiæ, Virgines Musæ verecundiæ palmas, Apollo laurum, chelym Orphæus, ex floribus Tullius sertum, ex arbore Phorphyriana contextam coronam Aristoteles cessêre, donavêre. Vix Divinior NEPTVNVS Scholastici æquoris suscepit clavum, seu clariùs dicam vix in scientifico Oceano luctando cum hoste ignorantia, inivit Naumachiam, illicò ab erudita Pallade Doctorali cingitur Corymbô, & eo ipsô omnibûs hîs, qui Doctarum frontium præmia meruere, Major IOANNES. Videre erat Minervæ Stadiodromum in Lycæo Grammatices, nihil licere discentem nisi à malo declinare, Pòëticis pedibûs sine quavis fractione Olympia virtutum decurrentem, Rhetoricos verborum fontes, ac Euripum Philosophicum alti tudine vastissimi ingenij sui moderantem Sanctiorem NEPTVNVM, Cui cuncta cara eruditorum fluminum pignora cessêre in Coronam. Plurimi in Holofernea fercula, Tygelliana & Aproniana convivia, campanas voluptates, Sybaritarum delicias, ut lautiùs stomacho provideant, cum Baccho invitantur. IOANNI D. supra Cænacula Luculli, patinas Neronis, popinas Vitellij, Aporemata Cleopatræ, Abacos Antonij, suavissimum Edullium, labores manuum suarum manducare. quandoq; etiam sola egestate frui, IOANNIS cibus solidissimus. Sed parùm est quod memorem: prout in Lycæis Sapientiæ stetit IOANNES, inter eruditissimos, optimus, inter optimos eruditissimus, neminem parem habiturus: dum etiam in contemptu honorum & fortunarum stetit constantissimus. Novit enim inter am-

plissima

plissima fortunæ augustalia, ipsas latere angustias, novit serenissimos Soles in Coronis sæpè plorare; novit ab aureis Imperatorum pomis, pessima quandoq; mala provenire. Quare sprevit, elusit hæc omnia NEPTVNVS D. invadentibus sese titulis respondendo: esse & Dominis sua flagra Sceptris. Iulium hìc IOANNEM Divinissimum dixerim, Qui veniens in Orbem vix versipelles ejus astutias vidit, vicit. Spectavit illececebras, & sprevit; fortunæ dona sibi obvia nudo calcaneô conterendo. Hic Major magno Macedone IOANNES, alium Sanctiorem quærit Orbem, cùm hic Eum in quo tantisper vixit, capere non potuerit. Voverem IOANNI, novum cum Columbo ingredi Obem, ni aliter Ipsi Cæli saluberrima subministrarent consilia, ac ut antiquissimæ Carmelitanæ Sacerrimæ Religionis institutis subderet animum: sic suadent. Conscende Dive NEPTVNE ex procelloso Orbis Oceano Insulam Carmeli fortunatam, ex ea meliùs insolentes fluctus, quibûs o quàm sæpè! mortalium obruuntur, imò merguntur pectora, conspecturus. Sume gladium flammigeri Eliæ, apprehende triumphalem Crucem, seu veriùs Tridentem cum hoc Divinissimus NEPTVNVS verior futurus. Fecit IOANNES quod Superi jussere, dum fausto pedemate sublimem Carmeli conscendit Clyvum. Stetit jam Sanctissimus Carmelita in excelso montis Eliani jugo, indè faciliùs Empireum scansurus Olympum: qui in Cella quasi in Cælo habitavit. In Sellato Zodiaco stetit majùs Luminare, serenum sparsurus Orbi sine nube diem. Videre erat in IOANNE altam

humilitatem, ad amoris Divini flammas, Sacro-sanctum Religionis cultum, cæteraquè dona quæ si alios divisim efficiebant beatos, IOANNES collecta tenebat. Videre erat quomodò IOANNES in Sacris Exedris zelosissimus Elias, in Cathedris Tullius, in Lycæis Theologus, in docendo clarissimus, in explicando facillimus, in perorando excellentissimus. Clariori loquar emphasi: quidquid in Divo NEPTVNO inveniebatur, nil non dignum erat, nil non sublime, nil non magno ore sonandum. Sed quid mirandum? quòd IOANNES Divinissimus cum plausu omnium, apud singulos plurimùm valet, dum hominem se esse planè negat. Ita est: Angelus IOANNES non homo, dum ea non nisi quæ sunt Angelorum, agit. Angelus IOANNES non homo quia stellati Carmeli Motrix Intelligentia. IOANNES non homo, quia castitatis Angelicæ, Angelus Custos. In promovendo cultu Divino continuus, laudes MARIÆ præcinit; eô ipsô in Sāctorum numerum Angelorum in vita computandus. Angelus IOANNES, dum fermè nihil naturæ omnia gratiæ debet. Angelus IOANNES à cibo abstemius, carni nunquam lautiùs providit, ipsâ egestate satur paupertate dives. Recenseant Vatum Oracula Templum Calabriæ Neptuno dedicatum fuisse. Diviniorem NEPTVNUM IOANNEM quòd Sponsa Christi in Spōsum sui vocaverit, res Oedipo non eget, sub quo à Scyllis ac Charybdibus immunis Argonavis fidei Christianæ, felix obtinuit promontorium. Repeto quæ dixi: vocat in Sponsum sui Ecclesia IOANNEM. promptus ne ad hæc? minimè! magno-

rum

rum meritorum suffragia, si in augem honoris IOANNEM elevabant, profunda humilitas dissuadebat. Qui olim sulphureum vicerat Draconem, nunc ad Immaculati Agni aram, accedere contremiscit. Verùm quid trepidas IOANNES Divinissime? perge, quò Te Superi vocant; curre quò Sancta invitat vocatio. Vtiq; si Sanctitatem munus hoc requirit? in Te fides Abrahami, solida Isaaci obedientia, cedere nescia, duris Iob patientia, mira Iosephi castitas, ardens Eliæ zelus. Si virtuosum omnino exigit? non ne, si penicilló Apellis viva pingeretur virtus, Tua Imago foret? Præterea erudita laurus circularem præfert æternitatis figuram, in qua Sacerdotalis corona est pro centro. Fecit IOANNES quod Superi voluere, tangit Sanctissimus Mysta DEI Altare; pro alta re habens DEVM adorare. Vtq; Divinior NEPTVNVS appareat, procellosum Mundi pacificat Mare. Rem ipsam quæso audite: Phlegetontea proles cùm spumantibus iras cædesq; nequiret, Divinissimum NEPTVNVM vincere undis: undè mittit ingens monstrum, dulcis sermonis nectareorumq; pulmonum Syrenem, an Hydram, amico ore virus furiale spirantem, quia mulierem sine fronte mittit, ut IOANNEM sacri sui propositi tenacem, illecebris allectum in sui pertraheret amorem. Sed appage hinc malesana Medea, locus in quo stas Sanctus est, inferni spectra non patitur, nec admittit. Novit IOANNES tales Danaes, etiam dona ferentes, novit artes pelasgas, novit Neptunus Syrtes Charybdesq; voraces. Nunquã hunc Herculem blanditijs infascinabis o fæda Omphale! nunquam tuis fædissimis procel-

 lîs ca-

lis castissimam hanc inquinabis crystallum, o Turpilia! nunquam hunc Diviniorem Vlyssem sopies illecebrîs, o Syren! imò potiùs in conspectu IOANNIS pudore suffunderis rubicundo. Ita est: tacet olim diserta, ad vocem IOANNIS; pudet audacem ruisse in nefas; undè spretis fortunæ illiciis, meliori redditur menti, castissimamq; à IOANNE discit ducere vitam. Sed non hìc terminalis colossus rectefactorum IOANNIS, nescit Sanctitatis Illius fama Herculeis coarctari columnîs, Sanctior NEPTVNVS IOANNES est, metam, littora & margines ignorat, in amplissimum fine terminôq; carens virtutum diffusus Mare. Auró Cedróq; notanda facta, Libro vitæ inserenda scripta, non tàm dicta quàm oracula loquuntur IOANNEM: quomodo Exedræ suum Ambrosium, Cathedræ suum adoravêre Bernardum, quem adusq; sacra Salmaticense, Matrinense, Vlysipponense, Granatense, deprædicant Cænobia, Hispania stupet, quomodo ad Illius nutum multoties mutarûnt Elementa fidem, pluviosæ Pleades, fulminei Tonantes, tonitruantes Gradiui multoties audivêre jussa IOANNIS ùt vel exinde Divinior NEPTVNVS apparuerit. Dicant alij, ego prætereo, tot operum conscripta volumina, quæ IOANNEM Tripodem Sapientiæ Orbi indicant Vniverso. Agnovêre in scientijs singuli prodromum IOANNEM, sublimem Illius in excelso Carmeli vertice mirati vitam, quomodo virtutum odore plenus nihil spirabat, quod non Cælis svave, nihil agebat, quod non floridum esset; nihil; deniq; locutus, quod adstantibus miræ svavitatis dulcedinem non stillaret. In eam se speciem

em orationibûs, mortificationibûs, (corpus abſtinentiâ attenuando, diſciplinîs, virgîs compellendo) efformavit, ut conſtaret ad oculum totam virtutem, totum occupaſse IOANNEM. In anguſta ac arcta Cellula prolixas devotiones formabat, ad quarum diſpoſitionem & ipſi Angeli recreabantur. Domum NEPTVNI D. pro periſtromatum ornamento, ſterea teges, pro pendulis luminosis lampadibus, ardentes orationum illuminabant lucernæ. Novit IOANNES diſſolutos unire animos, unitos ſtabilire, ſtabilitos gratijs fovere, omnes ad mutuam charitatem animando. Vt Oceanus hauſta deſuper refundebat flumina; ût ſpeculum, lumen acceptum emittebat, ût Nilus, pluſqvam ſeptem oſtijs gratiarum totum Orbem alluebat. O vitam! D. NEPTVNI, vitam ſimilem Angelicæ! o mores! moribus Cælicolarum non diſſimiles, Virtutes candore ipſo pulchriores. Poſt tot tantoſq; labores, venit tempus, ut IOANNES triumphali redimiretur Cydarî; venit tempus, ut hic Hercules poſt deuicta monſtra ingentia (dracones intelligo) referretur inter Aſtra Olympi, venit tempus, ut crucifer Heros poſt debellatos hoſtes (vitia intelligo) obſidionali; ût Sanctior Vlyſſes, poſt edomitam ſyrenem (mulierem iudico) navali donaretur Coronâ. ſeu quod idem eſt, ût D. NEPTVNVS, poſt pacificatum turbulentum Mundi mare, diuiſum cum Iove imperium, poſſideret. Ego hæc dico, & ecce aſtra locum parant Herculi, ecce IOANNI poſt ſuperata portenta aureum immortalitatis porrigitur vellus,

ptunumq; Cælestis cupit capere Eridanus; cui pro exantlatis laboribus supremus Iupiter ut præmia iusta daret, Erothesim movet *Quid vis pro laboribus Tuis!* Alias, audi IOANNES, vicisti Mundum versipellem, domasti carnem illecebris obnoxiam, sopivisti Draconem flammas ructantem; unde sydera conscende, locum in una sede mecum habiturus. Aliàs audi IOANNES, prælucebas alijs virtute ùt Phæbus, instruebas alios ùt optimus Princeps, ad laudabilia opera addebas alijs calcar ut centoculus Argus, ergo Phæbe sphæram Cælestem imple, probe Princeps fasces Imperij; amplectere, & centoculus Argus cum fueris, visione felix fruere beatificâ Aliàs audi IOANNES; turbulenti maris Crucis Tridente verior NEPTVNVS compescuisti procellas, ergo esto immortalis, Cælestem Eridanum Clava Tui regiminis frena, aquis quæ supra Cælos sunt, præside fortunatus Quid ad hæc IOANNES? dicerem, quod hic Sol suam sphæram ultro ambiet & implebit, Princeps hic præcoci manu Sceptra rapiet? Argus hic inter Intelligentias videri gaudebit? minime! *Pati & contemni volo:* verba IOANNIS. O sacrum Cælestibus imbutum gratijs Canticum! o voces sonoras & oracula, quibus surdæ etiam cordium commoventur petræ. Erudiamini erudiamini mortales! si viva Sanctitas, excelsa IOANNIS virtus contemni cupit? cur, dum nos ala muscæ turbat tantillos contemptus etiam cruento Marte vindicamus O IOANNES adhuc ne parùm de Tuo Sanguine ex quo fluentum si colligi in unum possset fieret perfusum? qvia pati? adhuc ne mo-

dica

quæ tecum gessisti prælia, quia contemni petis. Ita est; novit optimè IOANNES, non dari lucra, nisi priùs cruenta præcedat lucta; expetitum Sanctitatis unionem nisi inter roboantia variarum adversitatum concipi fulgetra; novit qvomodo quælibet sed maximè Cælestis Corona sudore paranda venit. Qvi opulenta fortunarum æraria, tumidos Mundi superbientis fastus, honorumq; nuper eminentiam contempsit, pati & contemni cupit, eô ipsô toti Regno Cælorum comparandus, quòd omnibus, sibiq; ipsi vilescat. NEPTVNVS Divinior, cùm procellosum Mundi mare, Crucis Tridente pacificaverit, secum bella agere meditatur, quodq; virtus illius invicta fuerit, id a sui vult probare experientia, dum pati & contemni prætendit. Sed ah tristem metamorphosim! sæva Libitina hebetem acuit falcem ut NEPTVNVM D. fatali casu prosternat, suumq; ducat in triumphum. Verùm inanis Parcarum conatus; IOANNES mori nequit quia pridem Mundo mortuus, soli Cælo vivit. *Non* terrenum credite IOANNEM, nihil enim terrestre sapit; Cælorum vera progenies NEPTVNVS, nullam vivendo contraxerat labem. Nihil habuit cum cæno, de Cælo cum fuerit, in quo ut citiùs occuparet sedem seraphico ferebatur spiritu, totus in Cælo IOANNES. Quid quid de IOANNE protuli Vestrûm est PP. RR. Qvi veriori Metempsichôsi in Vobis vivum IOANNEM præsentatis. Religio Vestra suprema Regio est, in qua Sapientia Cælestis suam fixit stationem. Vester Sydereus

 Zodi..

Zodiacus extingvit lumina Oratorum, in qvo tot Motrices Intelligentias conſpicio, quot erudita Capita valeo numerare. Sublimem Veſtrarum virtutum Olympum argumentorum filô metiri quis valeat? cum ad perfectionis Veſtræ culmen longo licèt verborum ductu rumpuntur tamen diductæ Schynotenes. Roſeo ſuffuſus colore Hortenſius erubeſcit, ubi Vos liliati Hercules vel ipſa candida chlamide impingitis ruborem verecundum. Plura dicam: ex linea Apellem, Gigantem ex pollice, Cleopatræ margaritam ex candore, magnitudinem Veſtram ex flammigero Eliæ gladio venari liceat, quô Gordios difficultatum ſolvitis nodos, veri Macedones; quibus totus non ſufficit Orbis ad triumphum. Sanè elogium quod IOANNES promeruit Vos omnes concernit. Nunc Patriam mente volvo ut Veſtro commendem IOANNI, Orbem Polonum gratiarum Tuarum imple favoribûs IOANNES Diviniſſime, ut Te ſuum agnoſcat columen, & præſidium. Scientiarum Matrem Almam Vniverſitatem, fortunatis corona ſucceſſibûs, pelle omnia adverſa IOANNES à CRVCE Sceptrigera.

Inclinant vertices ſuos Craciæ Turres Teadoraturæ, quas ab æſtu omnium malorum protege, Quem Diviniorem NEPTVNVM Crucis Tridente procelloſum Mundi pacificantem mare Cælum fecit, ego

DIXI.





